

425

423

429

419

434

414

474

374

324

Ende

Anfang

410

**Sepulchrum Joseph sponsi Mariae Virginis, et Sancti Simeonis senis.**

Porro ad dextram pyramidis sunt duo foramina in pariete rupis, et dicunt esse duo sepulchra. In uno sepultus fuit Joseph, sponsus beatissimae (157A) Virginis Mariae, et nutritius Jesu Christi. In altero Simeon senex ille, qui Dominum in ulnas accepit, et: nunc dimittis, hymnum cantavit, ut dicitur Luc. 2. Ante illa sanctorum monumenta nos prostravimus, et orationibus dictis indulgentias accepimus (†). Quantae autem sanctatis et eminentiae hi duo viri fuerint, evangelica tradit veritas, praecipue tamen de sanctissimo Joseph nulli dubium, quin singularissimis gratiis privilegiatus fuerit et meriti singularis apud Deum exstiterit, ut tantum thesaurum in commissis acceperit. De cuius laude vide in Alberto: supermissus est, in eo loco, ubi dicitur: desponsata viro, cui etc. Et in Gersone, in sermone de nativitate, de beata Maria Virgine et incarnatione Josephina. Nec credendum est in hoc pictoribus, qui Joseph ipsum depingunt parvum hommunctionem decrepitum, incurvatum, baculo sustentum, canum et prorsus inutilem pro nutricatione tam Virginis quam filii. Fuit autem vir potens viribus, fortis laborator, maturus, aetate mediocre, et ante despensionem Virginis fuit virgo, et post ita incorruptus permanxit. De his vide Gersonem in sermone praefato.

**De sepulchro Zachariae prophetae, et de aliis sepulchris et Sanctorum habitaculis.**

De his sepulchris abscedentes ad aliud monumentum venimus petrae incisum. Et hoc dicunt esse sepulchrum sancti Zachariae, prophetae, filii Barachiae, quem Judaei occiderunt inter templum et altare, sicut Christus eis objicit, Matth. 23. Ibi ergo flexis genibus prophetae patrocinia imploravimus, et indulgentias recepimus (†). Et surgentes consequenter super torrentem descendimus, et in latere montis Oliveti parietibus petrarum multa habitacula et cellulas incisas pertransivimus, in quibus olim devoti et religiosi Christiani habitaverunt. Est enim mons Oliveti in sua radice petrosus, et concavitatibus

